



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CCXXVII. Vtrum Angeli fuerint creati in sanctitate, & iustitia apud
Deum, an in pura natura.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

primo dicendum est. Secundò August. lib. 11. de Genesi ad litteram, cap. 3. de demone docet, nunquam beatæ atque angelicæ vitæ dulcedinem gustasse, quam non vique acceptam fastidiuit, sed nolendo accipere deseruit & amisit, cumque beatitudinis nomine eo loco denoter August. beatitudinem viz, quam habeat pacē & iustē viuentes, planē sentiat angelum malum nunquam in gratia Dei fuisse, præsertim quia existimare videtur malos angelos statim atque creati fuerint, ceciisse. Tertiò Gregor. lib. 32. Moral. cap. 18. alias 25. explicans illud Ezech. 28. Tu signaculum similitudinis Dei, &c. inquit, Iulius ergo lapidus in die conditionis sue foramina præparata sunt, quia videlicet capax charitatis est conditus, quia si repleti voluissent, flantibus angelis tanquam positis in regni ornamēto lapidibus, inherere potuissent: Quibus verbis significare videtur, angelum malum fuisse solum creatum pacem diuinæ charitatis, sed eam recipere noluisse. Quartò denique ex Scriptura idem probatur: nam Iob 4. vbi vulgata habet, Et in angelis suis reperit prauitatem. Hebraicus textus dicit, Et in angelis suis non posuit laudem, vel, lucem: lucis autem nomine significari videtur gratia & iustitia apud Deum. Cumque eadem ratio sit bonorum, & malorum quoad primam ipsorum conditionem, vt supra dicebatur, sequitur etiam eos, qui persequerantur, non fuisse in gratia creatos.

Deinde ratione eadem opinio suadetur: Primò, quia primus parens non fuit creatus in iustitia & sanctitate apud Deum; ergo nec Angelus: cum enim homo inferiorem locum reueat inter creaturas rationales, & maiores stimulos habeat ad malum: debet potius in gratia creati, vt contra maiora incitamenta maiora quoque haberet à Deo remedia: porro autem primum parentem non fuisse in gratia creatum, probant Thom. de Ar. gentina, Aegidius, & alij, qui hac vtuntur ratione ex August. lib. 11. de Ciuit. Dei, cap. 12. vbi docet, quoad delectationem præcedens boni beatorem fuisse primum hominem in paradiso quocumque fuit in natura lapsus; quia ille tunc nihil mali sentiebat: at vero quantum ad spem futuræ vitæ iustus in natura lapsa beatior esse: quod quidem verum esse non posset, si primus parens in gratia & iustitia Dei creatus fuisset, vt satis liquet. Secundò si angelus malus fuisset in gratia creatus, non cecidisset eo modo, quo cecidit; quia, vt ait August. lib. 11. de Genesi ad litteram, cap. 18. superbia tumidus, & propriæ potestatis delectatione corruptus beatæ atque angelicæ vitæ dulcedinem non gustauit. Si autem demon in gratia creatus esset optime nosset, se esse in gratia, & illam esse sibi necessarium medium ad beatitudinem consequendam, ac proinde non superbiit corruptus delectatione propriæ potestatis. Tertiò, si angeli fuissent in gratia creati in eodem momento quo creati sunt vitam æternam promeriti fuissent; quare statim post primum meritum vitam æternam fuissent consequuti, sicut mali angeli post primum peccatum condemnati fuerunt.

CAPVT II.

Tam malos, quam bonos Angelos in gratia fuisse creatos
auctoritate Scholasticorum, & Patrum
probat.

Multo probabilior, & in scholis magis recepta opinio est, Angelos omnes tam malos,

quam bonos in gratia, iustitia & sanctitate apud Deum fuisse creatos: quam quidem sententiam ex Scholasticis plane sequitur S. Thom. Caicq. S. Thom. & recentiores Thomistæ in hoc articulo, Albertus 2. par. Summæ, tract. 99. memb. 1. Durandus in 2. d. 3. q. 2. Capreol. q. 1. art. 3. ad 1. contra 5. conclus. Gregor. q. 1. art. 3. concl. 1. Maior q. 1. Holcot in 2. q. 3. Ludovicus sictho- new lib. 6. in Ioan. cap. 6. qui est inter commentarios Cyrilli in Ioan. Gabriel vero in 2. distict. 4. q. 1. art. 2. vtramque putat esse probabilem; quia censet, neutram efficaci ratione probari posse. Ex Patribus vero tam Græcis, quam Latinis permulti pro hac sententia allegari possunt.

Ex Græcis quidem Basilii in illud Psalm. 32. Et spiritus oris eius omnis virtus eorum, &c. Ita scribit: Angelos namque initio, vt essent, verbum annuum opifex condidit; sanctificationem vero simul impendit ipsis Spiritus sanctus: non enim in infanti statu sunt creati, deinde paulatim excitati atque perfecti, sic spiritus susceptione digni sunt habiti; sed primâ constitutione, & quasi quadam conspersione sue substantiæ simul insusam habuerunt sanctitatem. Quæ verba pro nostra quidem sententia adeo perspicua sunt, vt nulla indigeant explanatione. Non minus clare Damasc. lib. 2. de fide, cap. 3. idem docuit his verbis: Per verbum igitur Angelos omnes creati sunt, ac per sancti Spiritus sanctificationem omnes perfectionis numeros acceperunt, in a tamen vt pro sua quisque dignitate & classe luminis gratique participes sint. Idem colligitur ex eodem Damasc. cap. sequenti ait, diabolus amississe splendorem & honorem, quo à Deo creatus est. Cum enim splendorem naturalem non amisit, vt omnes faterentur, plane sequitur, loqui Damasc. de splendore gratiæ. His addere possumus primum testimoniū Anastasij in questionibus sacre Scripturæ, q. 61. tom. 6. Bibliothecæ sacre, vbi de demonibus inquit, à melioribus ad deteriora fuisse prolapsos, & ita excidisse & priuatos fuisse honore, qui eis ab initio datus fuerat, quod si in pura natura conditi essent non fuissent priuari bono aliquo, aut dono quod ab initio habuissent: nam in demonibus naturalia integra manserunt: vt, infra ex Dionys. probabitur. Deinde addamus Theodor. lib. de Deicultu, quem citat idem Anastasius & in lib. 5. hereticarum fabularum capite de diabolo & demonibus, vbi etiam docet, angelos ab eo statu, in quo conditi fuerunt, excidisse, nec in illo permansisse, iuxta illud Ioan. 8. In veritate non stetit.

Ex Latinis vero Patribus multi etiam pro hac sententia allegari possunt. Præ cæteris autem August. citari solet, quem tamen inferius referemus, vt ex professo ostendamus, quid ipse in varijs locis de hac re senserit. Hierony. igitur in priora verba Osee 3. capite aperte hanc sententiam tradidit: inquit enim, Sicut demones qui lapsi de propria dignitate, & nihil antiquæ gratiæ possidentes aridi sunt. Et in illud Iob 4. Et in angelis suis reperit prauitatem, ait, hæc verba intelligi de diabolo, qui quondam sanctus fuit, & ab illa sublimitate angelica cecidit. Si vero aliquis obijciat, ex his locis Hierony. solum probari, demonem aliquando fuisse iustum & sanctum, non tamen in sanctitate conditum fuisse, dico primum, his saltem testimonijs aperte conuinci doctores præcedentis sententiæ, quatenus affirmant, non solum demones non fuisse in gratia & sanctitate creatos, sed neque illam vnquam habuisse. Deinde si semel conceditur, demones fuisse iustos & sanctos, antequam peccarent,

Gregor.

carent, non est cur negent, in iustitia & sanctitate creatos esse. Clarissime tamen Gregor. lib. 32. Moral. cap. 18. alias 35. circa finem explicans illud Ezechiei. 28. In medio lapidum ignitorum perfectus ambulasti, hanc opinionem expressit suis verbis: Quia inter Angelorum corda charitatis igne succensa clarus gloria conditoris extitit: loquitur autem de Lucifero, quem prædictis verbis plane testatur conditum fuisse charitate gloriosum. Imo vero sequentibus verbis pronuntiat, ipsum recte fuisse appellatum extentum: quia cooperatione claritatis suæ ceterorum claritatem obscuravit: & de eodem Lucifero eod. capite, alias 24. inquit: Quid namque boni non habuit, si signaculum similitudinis Dei fuit? plurimum autem ei defuisset, si in gratia Dei creatus non esset. Prosper etiam idem docuisse videtur lib. 1. de vita contemplativa. cap. 3. ubi ait, omnes Angelos fuisse creatos sine peccato, & ad serviendum Deo feliciter institutos: quod non nisi per iustitiam & gratiam fieri potuit. Accedit Isidor. lib. 1. sententiarum, seu de summo bono, cap. 12. sententia 7. ubi de diabolo inquit: Fuit quidem in veritate conditus, sed non stando confestim a veritate est lapsus, apud Patres autem veritas dicitur iustitia & sanctitas apud Deum. Denique Anselmus in lib. de casu diaboli, cap. 4. cap. 17. & 27. aperte supponit, & malos Angelos, & bonos creatos fuisse in iustitia, quam non à se, sed à Deo habuerunt, malos autem initio suo illam amisisse.

Prosper.

Isidorus.

Anselm.

8. August.

Verum August. qui præcipue pro hac sententia allegari solet, varia de hac re docuit. In lib. enim 11. de Genesi ad litteram citatus superiori disputatione cap. 3. aut existimat malos Angelos in primo instanti sui esse, peccasse: aut illud sub dubio reliquit: de bonis autem Angelis sentire videtur, eos in gratia & beatitudine huius vitæ creatos, hoc est, in gratia & iustitia apud Deum. Idem omnino sentire videtur in de Civitate Dei, cap. 13. sed cap. 15. eiusdem libri docet, Angelos malos in veritate creatos fuisse: & autem 12. de Civit. cap. 9. post medium, postquam de omnibus angelis dixit, in Dei amplexu creatos esse, & Deum illorum condidisse naturam, & simul largitum fuisse gratiam subiungit: Vnde sine bona voluntate, hoc est, Dei amore, nunquam sanctos Angelos fuisse, credendum est: isti autem, qui cum boni creati essent, tamen mali sunt mala propria voluntate, quam bona natura non fecit. &c. Aut minorem acceperunt diuini amoris gratiam quam illi, qui in eadem persisterunt, aut si virique boni equaliter creati sunt, istum mala voluntate cadentibus, illi amplius adiuui ad eam beatitudinis plenitudinem, vnde se nunquam casuros certissimi siverunt, pervenerunt: quo loco non dubitat asserere, omnes Angelos tam bonos, quam malos in gratia fuisse creatos: perperam autem Basilis interpretatur hoc testimonium Augustini, non de gratia gratum faciente, sed de aliqua gratia gratis dante, nempe de aliquo habitu, aut specie supernaturali ad intelligendum, cum discreti verbis loquatur August. de gratia charitatis & amoris diuini, quæ non est nisi in sanctis & iustis apud Deum. Eodem modo intelligendus est idem August. lib. de correptione & gratia, cap. 10. cum asserit, omnes Angelos, & demones fuisse conditos in beatitudine huius vitæ, quæ, ut diximus superiori disputat, consistit in sanctitate & iustitia operum apud Deum.

9. Obijciuntur

Obijcere verè possit quis Augustinum, qui libro de correptione & gratia, cap. 10. inquit in

hæc verba, Sic vero ordinasse (scilicet Deum) angelorum, & hominum vitam, ut in ea prius essent, quod postea arbitrium, deinde quid postea hæc gratia beneficium: Ergo prius fuerunt Angeli, & prius creati, quam à Deo gratiam consequerentur. Respondet, eo loco non disputare Augustinum de prima creatione, & de gratia iustificante, vtrum in ea Angeli fuerint creati, an in pura natura, sed de Angelorum, & hominum vita, hoc est de perseverantia in huius gratiæ. De hac autem optime dicit, ita fuisse à Deo dispositam angelorum, & hominum vitam, ut prius Deus experiretur in ipsis, quid eorum posset purum arbitrium sine auxilio gratiæ congruæ, quia virique peccarent: dei de quod posset liberum arbitrium adiutum gratiæ amicitia loquitur autem non de omnibus Angelis, sed de illis tantum, qui peccaverunt. Neque vero docuit Augustinus in malis angelis Deum prius experiretum fuisse, quid eorum posset purum arbitrium, nec peccando, & deinde gratiæ suæ beneficium eorum penitentiam reuocari: non enim credidit, angelos apostatas ad penitentiam fuisse conuersos. Propterea adiecit, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, iustitiæ quæ iudicium, ea sane de causa, quod in homine expertus est Deus, deinde suæ gratiæ beneficium, ipsum ad penitentiam reuocans: in angelis vero apostatis, quid posset suæ iustitiæ punitionis iudicium, ipsos perpetuo condemnans.

CAPVT III.

Testimonio Scripturæ, & ratione prædicta sententia confirmatur.

Nonnulla congerere solent Scholastici recentiores Scripturæ testimonia, ut præcedentem confirmarent sententiam, quæ sigillatim relata, quæ expendere inutile non erit, ut tandem clarius nobis constet, an prædicta opinio fuit aliquod habeat fundamentum. Deinde vero ratione eam suademus. Primum testimonium solet esse Ezechiel 28. ubi diabolus dicitur fuisse plenus sapientiæ & decore, & in medio lapidum ignitorum perfectus ambulasse: quod sane hanc sententiam aptissime comprobaret, si iuxta sensum litteralem de diabolo intelligeretur. An vero hoc sensus debeat intelligi, videbimus infra disput. 31. c. 4.

Secundò afferunt nonnulli testimonium illud Ioan. 8. Ille (scilicet diabolus) in veritate non stetit, hoc est, in gratia & sanctitate apud Deum, quæ à patribus vocari solet veritas, non perseverantia: stare enim significat permanere: quod vero permanet in aliquo statu, in eo prius fuisse intelligitur: perinde igitur est, Angelum non stetit in veritate, atque in sanctitate, in qua conditus est, non perseverasse aut permaruisse: nomine autem veritatis eo loco intelligunt rectitudinem vitæ Chrysost. homil. 53. in Ioan. & Euthym. in illa verba, ut diabolus dicatur non stetit in veritate, quia non perseveravit, aut non quieuit in vitæ rectitudine. Quo sensu ex prædicto testimonio non bene desumi potest argumentum. Verum, quia ceteri patres variè intelligunt verba citata, itaque quidem sententia parum ex illis probari potest. Cypr. prius lib. de Oratione Dominica in principio, explicat hoc modo, In fidelitate non stetit, Augustinus vero apud lib. contra Adimantum c. 4. veritatem vitæ parum

lege angelis data, ut sensus sit, in lege sibi data non stetit: quod sane contingere potuisset, etiam si non in gratia Dei, sed in pura natura angelus creatus legem obseruandam accepisset, & eam non obseruasset. Demum non pauciores, nec minus graues patres nomine veritatis intelligunt veracitatem, quam vocant Scholastici veritatem in dicendo. Ita explicat Irenaeus lib. 5. contra haereses cap. 22. Chrysost. tom. 1. homil. de lapsu primi hominis parum à principio. Epiphanius haeresi 38. eosque sequitur Theophyl. in illum locum Ioan. Quotum sane interpretatio, quod contextus Euangelistae maxime congruat, mihi summopere probatur: nam Christus eo loco suggillare voluit Iudas, quod mendaces essent & homicidae: ideoque dixit illis, Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Quae vero essent haec desideria, & in quo vellent patrem suum diabolum imitari, subinde explicauit his verbis: Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, & non est veritas in eo: cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est & pater eius. (scilicet mendacij) Appellauit igitur Christus diabolum mendacem, in eo patrem mendacij, quia primum mendacium, quod scimus in mundo dictum fuisse, à diabolo inuentum & dictum est, cum dixit parentibus nostris in paradiso. Nequaquam morte moriemini, sit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij scientes bonum & malum. Ecce primum, atque inigne mendacium. Rectè igitur intulit Ioannes, cum diabolus mentitur, non usurpare peccatum ab alijs inuentum, sed ex proprijs loqui; hoc est, mendacium, quod ipse primus confinxit & introduxit in mundum, assumere. Cum igitur Iudaei plane mentirentur, ut constat ex eo capite, cum simularent animum non occidendi Christum, fecerunt autem mortem illi maiorem: rectè dixit, vos ex patre diabolo estis: tum quod in mendacio ipsum imitarentur, qui fuit auctor mendacij: tum precipue in animo occidendi ipsum Christum, quia diabolus ab initio mundi homicida fuit, sollicitus necem hominum querens, suadensque; Caino primum homicidij Abelis fratris sui, ut inferius explicabitur disp. 236. cap. 1. rectè igitur Patres allegati per veritatem apud Ioannem intelligunt veracitatem.

Porto autem verbum, stetit, non denotat semper in Scriptura perseuerantiam. Nam illud Psal. 1. In via peccatorum non stetit, nonnulli per *παλινοδον*, aut *ἀνταρτίαν* accipiunt pro eodem, quod in eodem versu dicitur, Non abiit in consilio impiorum, ac si diceretur, non fuit in consilio impiorum, nec in vna via peccatorum. Clarior multo, statet usurpatur pro, esse, sicut apud Paulum 2. ad Corinth. 3. In ore duorum, vel trium stabit omne verbum, hoc est, erit. Capitur etiam in Scriptura, stare, pro eo, quod est, consistere & firmum esse, quod idem est, atque non cadere, ut ad Rom. 14. Domino suo stat aut cadit. Dicitur igitur diabolus in veritate non stetisse, non quia prius in ea fuerit, & deinde non permanisset, nec perseuerauit: sed quia per mendacium cecidit, etiam si in eo loco capiatur pro veracitate: verbum, stetit, non potest denotare perseuerantiam in antiquo statu & opere: nam daemon antequam verba illa diceret patribus nostris, nec mendacium, nec verum aliquod dixerat, in quo deberet perseuerare:

tunc igitur cum primum mentitus est parentibus nostris, dicitur in veritate non stetisse, hoc est, mendacio cecidisse.

Quare superest solum testimoniū Iudae, quod, meo iudicio, non leuiter confirmat praedictam sententiam: dicit enim in sua Epistola. Angelus verique, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni Dei vincula aeterni sub caligine referantur: constat enim Angelos apostatas non amisisse principatum, qui suapte natura in alios ipsis conueniebat: nam in angelis integra manserunt naturalia, ac proinde naturalis dignitas, qua vnus alijs antecellebat, quae erat principatus naturalis ipsius, integra mansit: per domicilium igitur & principatum intellexit Iudas dignitatem gratiae, qua vnus alijs excellentior erat. Scio quod iam recentiores hunc locum explicare de principibus terrae promissionis, quos dicunt fuisse reueruatos in aeternum iudicium, quia non seruauerunt dignitatem suam regiam, quam habebant: verum communis explicatio, quam sequuti sumus, praefenda est.

Ratione demum haec sententia suaderi potest: quia multo probabilius est, primum hominem fuisse in gratia conditum, quam in pura natura sine gratia & iustitia: ergo idem de Angelis dicendum est. De homine vero illud probant recentiores Theologi; imo vero de fide esse putant, ex Concilio Trident. sess. 5. in decreto de peccato Originali. Canon 1. Vbi dicitur Adamus per peccatum iustitiam & sanctitatem amisisse, in qua à Deo constitutus erat, quasi idem sit constitutum esse in iustitia, atque in ea conditum esse. Verum ex hoc loco non satis id probari potest: nam constitutum esse, non significat conditum, sed ordinatum esse. Quare in Concilio solum, ut certum definitur, Adamum antequam peccaret, iustitiam & sanctitatem habuisse. Ceterum primos parentes in sanctitate conditos etiam fuisse, ex patribus Graecis censent Dionys. cap. 3. de Eccles. Hierarch. Dionys. parte 2. Irenaeus lib. 3. contra haereses cap. 37. Explicans Irenaeus. quid sit, fuisse productum hominem ad imaginem Dei, & clarius lib. 5. cap. 20. Chrysost. homil. 8. & 9. in Genes. Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 9. & lib. 2. cap. 3. & lib. 11. cap. 25. & lib. 12. cap. 56. & lib. 6. Dialogorum cum Herman. & libro de adoratione in spiritu. Et Latinis vero Cyprian. serm. 3. de patientia, & Ambros. lib. 6. Cyprian. Hexameron cap. 7. Explicans imaginem, secundum Ambros. quam factus est homo, August. lib. 14. de Civitate, August. cap. 11. & 17. & lib. 13. cap. 19. de Spiritu & littera cap. 27. & Prosper responsione 8. ad capitula Gallorum, quae cum 214. sacerdotibus simul fecit. Scriptura quoque id non obscure testatur, Ecclesiast. 7. Deus fecit hominem rectum, rectitudo enim in Scriptura est sanctitas & iustitia apud Deum: nam quamuis facere rectum coram Deo, dicatur etiam in Scriptura de aliquibus peccatoribus, qui fecerint aliqua bona opera virgatum: illa enim dicuntur recta coram domino, quae sunt iuxta illius voluntatem: tamen rectum esse coram domino, idem est, quod iustum & sanctum coram eo esse; rectum enim esse, complectitur non vnum aut aliud opus, sed omne opus: factores autem legis iusti sunt apud Deum, ad Rom. 2. Cum igitur primus parens in sanctitate & iustitia conditus sit apud Deum, efficitur etiam angelum in gratia Dei & iustitia creatum fuisse: siquidem Dei perfecta sunt opera. Hoc autem eodem modo asseritur de angelis,

Irenaeus.
Chrysost.
Epiphanius.
Theophyl.

11.

12.

angelis, qui peccaturi erant, sicut de his, qui erant perseveraturi: de utrisque enim ratio probat. Quod vero afferbatur pro priori sententia in prima ratione posita in 1. cap. nihil valet: nam quamvis homo suapte natura sentiat carnis rebellionem contra spiritum, quam angelus non sentit: inde non sequitur, hominem potius, quam angelum in iustitia, & sanctitate fuisse creatum; Nam sanctitas animæ non tollebat in primo parente hanc carnis rebellionem, ut 1.2. disputat. 12. cap. 7. ostendimus; sed peculiaris Dei protectio & cura. Hac igitur ratione, ut magis succurreretur homini tanquam magis indigenti, non fuit necesse creati in sanctitate & iustitia, sed in quadam naturæ integritate, quæ ex illa Dei peculiaris protectione proveniret, non ex statu sanctitatis, quæ sine iustitia & sanctitate apud Deum esse posset.

CAPVT IV.

Connelluntur fundamenta prioris sententia.

15.
*Responsio
aliquorum
ad testimo-
nium Ioan-
nis Papæ re-
ij-
citur.*

Reliquum est, ut fundamenta prioris sententia i. e. allata euertamus. Et primum quidem testimonia, quæ pro illa afferuntur, vero sensu explicemus: deinde rationes diluamus. Ex testimonijs autem primum erat Ioannis Papæ, cuius verba nonnulli Scholastici cum glossa in eo cap. ita exponunt, ut Ioannes loquatur de charitate consummata patriæ, quam dæmon non habuit: non autem de charitate viæ. Huic tamen responsio duo obstant; alterum est, quod Ioannes non dixerit, quam, nempe charitatem, dæmon non habuit; sed quæ nequiuisset habere: hoc autem sicut videtur falsum de charitate viæ; sic etiam de charitate patriæ: nam sicut reuera habuit charitatem viæ potuit etiam habere charitatem patriæ, ad quam cōtendebat. Alterū est, quia de eadem charitate, quam dæmones hominibus auferre, & impedire moliantur, dixit: *Quam nequiuisset habere*, hæc autem est charitas absolute & in vniuersum, siue illa sit viæ, siue patriæ. Quod si illam literam sequamur, quam citauimus in prædicto testimonio, de quavis charitate difficile est prædictum testimonium intelligere; nam dæmon ita non habuit aut non retinuit charitatem viæ, aut non est consequutus charitatem patriæ, ut tamen illam potuerit habere, retinere & adipisci; atqui Ioannes prædictis verbis dixit, *quam*, scilicet charitatem, *nequiuisset habere*; ergo difficile adhuc est, de quavis charitate verba illa intelligere. Et quamvis diceremus, dæmonē non habuisse charitatem in via prima sui conditione, quia nullam ad illam habuit præuiam vocationem & gratiam; non possemus hoc modo verba Ioannis interpretari; nam, cum de dæmone inquit, quàm nequiuisset habere, vitio ipsius dæmonis tribuit, quod gratiam non habuerit, ex qua etiam parte difficile redditur prædictum testimonium; quia si vitio suo non habuit charitatem, consequitur, potuisse illam habere; alioquin nec vitio illius tribui posset, quod eam non habuisset.

16.
*Emendata
lectio illius
decretalis
Ioan. Papæ.*

Quare existimo, clariorem sensum illius decretalis esse, si non ponatur verbum, *nequiuisset*, præteriti temporis, sed verbum, *nequit*, quod est præsentis, ut in aliquibus codicibus habetur; & ita verissimū est de charitate in genere, dæmonem non posse nunc habere charitatem, quia omni gratiæ auxilio destitutus est, ut disp. 239. videbimus. Aut si verbum, *nequiuisset*, ponatur in præterito, impo-

ARTIC. III.

tentiam hanc dæmonis intelligere debemus consequentem, quæ non tollit arbitrium, ut late ostendimus disp. 98. & 80. cum enim dæmon non habuerit congruam vocationem, ut in charitate permaneret; impotentia consequenti non potuit charitatem habere; tunc autem verbum, habere, non debet significare vtumque consequi, sed retinere, quod semel habitum est.

Secundū testimonium fuit Angelicorum mentem iam satis explicimus c. 1. & ostendimus illis quibus in locis circa hanc difficultatem dubium mansisse. Tertium testimonium, quod est Gregorij, explicare debet de gratia & charitate consummata: nam cum hic Doctor eodem c. plane dicat, angelos omnes in charitate fuisse creatos; cum postea dicit, dæmones habuisse foramina præparata, ut cum alijs charitate conducerentur; intelligi debet de consummata, & ideo dicit, dæmonē fuisse quidem capacem charitatis, quam significat aurum, & hoc est, habuisse foramina præparata, sed noluisse hoc auro charitatis repleri, ut per se cum alijs angelis conduceretur: repleri autem charitatis auro est in charitate confirmari, ut iam deinceps separari ab alijs non possit: quod ipsum conceditur beatis. De sensu autem illius loci Ezech. 28. *Tu signaculum similitudinis Dei*, quod huiusdem explicat Gregor, dicimus disp. 236. c. 4.

Quartum testimonium est Iob 4. cap. iuxta lectionem Hebraicam, ex quo leue quidem argumentum desumi potest; nam nostri vulgata, cui tanquam regulæ standum est, ita habet: *Et in angelis suis reperit prauitatem*, ex quibus verbis probari non potest, Angelos malos non fuisse in gratia creatos. Ceterum, etiam iuxta textum Hebraicum legamus; *Et in Angelis suis non posuit laudem*; nihil inde probari poterit: nam in Hebræo pro laudem, est, *7777* *Tabalah*, quod aliqui conuertunt, lumen, splendorem, alij vero habilitatem. Quod si verbum pro verbo ex Hebræo relas testimonium illud sic legendum est, *Seruis iuxta non credit*, pro eo, quod in vulgata legitur, *Ei qui seruiunt ei, non sunt stabiles*. Sequitur deinde in eodem textu Hebræo; *Et in Angelis suis ponit laudem, des, stabilitatem*, pro eo quod est in vulgata, & in *angelis suis reperit prauitatem*. Neque enim legitur conuersione, ut citatur, nempe, *non ponit*, sed affirmatiue, *ponit*. Sensus autem est quoad priorem illam partem, *seruis suis non credit*, hoc est, hominibus; aut, sicut vertit Chaldaicus, *prophetis non credit arcana & consilia sua*; quia fideles eos non reputat, quibus omnia sua arcana & secreta consilia digne committat; quem sensum habere possunt verba vulgata, *Ei qui seruiunt ei, non sunt stabiles*, hoc est, non sunt fideles, quibus committat Deus omnia secreta consilia sua. Aut certe pars illa, *qui seruiunt ei*, potest referri etiam ad Angelos; ut ita sit repetitio, quando dicitur, *Et in angelis suis*, etc. aut si prior pars ad homines, & posterior ad angelos referatur, idem sensus est. Cum autem dicitur in textu Hebræo, *Et in angelis suis ponit stabilitatem*, idem significat, quod de hominibus dixerat, nempe Deum non credere angelis omnia consilia & secreta sua, quia scit eos infirmos esse: ac si diceret, ut interpretatur Eugubinus in illud cap. de in angelis suis ponet, hoc est, deprehendet stabilitatem, seu prauitatem, quod non debet intelligi, *Reperit prauitatem*, quod non debet intelligi de prauitate peccati, sed de imbecillitate naturæ, ob quam

19.
*Satis fa-
cile a ra-
tione in-
uit.*

20.
Secund.

ob quam non debeat Deum credere illis omnia secreta sua. Aut si interpretemur verbum Hebraicum *תהלה* *Tahalah*, lucem (vtrumque enim significat) sensus est, cum angeli ex se nihil sint, scientia & lumen eorum à Deo est, qui eis sua mysteria reuelat. Quod si cum negatione legamus hoc modo, Et in Angelis suis non ponit lumen, ita, vt prior negatio, quæ est in priori parte illa, Ecce seruis suis non credit, repetatur, sensus eodem redit, ac si dicat, Et Angelis suis non reuelauit abscondita consilij sui: quod est, non ponere in illis lumen, nempe reuelationis. Hic autem sensus optime coheret cum præcedentibus, dixerat enim: Nunquid homo Dei comparatione iustificabitur, aut scilicet suo purior erit vi? ac si dicat, minime. Id quod sequentibus verbis optime confirmat hoc modo, Ecce seruis suis non credit, &c. quibus ostendit creaturam etiam spiritualium, vt Angelorum, imbecillitatem comparatione Dei: cum ipsis etiam Deus non committat secreta consilia sua.

19. Ad primam vero rationem respondeo, primum parentem fuisse in gratia conditum, vt c. præced. probatum est. Quare mirum esse non debet, si dicamus, Angelum etiam in gratia fuisse creatum. Neq; vero August. loco allegato in prima ratione dixit, beatorem esse iustum hominem in hoc statu, quam primum parentem in paradiso quoad spem futuræ vitæ, vt falso referunt auctores prioris sententiæ, sed dixit hoc modo: Quantum itaque pertinet ad delectationem presentis boni, beatior erat primus homo in paradiso, quam quilibet iustus in hac infirmitate mortali; quantum autem ad spem futuri boni, beatior quilibet in quibuslibet cruciatibus corporis, cui non opinatione, sed certa veritate manifestum est, sine fine se habiturum omni molestia carentem societatem Angelorum in participatione summi Dei, quam erat ille homo sui casus incertus in magna illa felicitate paradisi. Hæcenus August. quibus verbis non comparat quemcumq; iustum cum primo parente, quia primus parens non habuerit gratiam & sanctitatem coram Deo, quam diu fuit in paradiso, sed eos soli comparat, quod spectat ad certitudinem de futura perseuerantia in bono, & in felicitate. Neque etiam asserit, hominem iustum in hac vita esse certum de sua perseuerantia, de qua non fuit primus Adamus, sed eos iustos huius status esse beatiores, qui etiam si in cruciatibus sint, reuelatione tamen didicerunt & certi sunt de futura sua perseuerantia: nec enim tam curat August. eo loco de statu delectabili & iucundo omni carenti molestia, quam de iustitia, & de certitudine perseuerantia: in ea ad constituendum hominem beatum.

20. Ad secundam rationem respondeo, quamquam angelus fuit creatus in gratia, non cognouisse euidenter statum suum; quia mysteria gratiæ nō sunt ei euidenter nota, habuisset tamen certissimam notitiam illius; aut si habuit euidentiam, quia euidenter cognoscere posset actum charitatis, quo Deum prosequeretur: tamen cum non habuerit charitatem & dilectionem Dei ex clara ipsius visione, non ita firmus erat in charitate, vt ab ea dimoueri non posset amore contrario: quia efficacius illi poterat representari propria excellentia, eo, quod per fidem reuelabatur diuina bonitas, quæ ipsum ad charitatem Dei mouebat: sola autem charitas orta ex visione clara bonitatis Dei, quæ sic apparet sub omni ratione boni, etiam in exercitio ipso, ab amore contrario superari non

potest, vt disput. 231. cap. 4. videbimus, ad tertiam rationem, quare post primum meritum non statim demones acceperunt gloriæ beatitudinem; & vtrum boni post vnum meritum illam fuerint consequuti, an post plura, dicemus disput. seq. cap. 10.

DISPUT. CCXXVIII.

An omnes angeli in sanctitate & iustitia æquali fuerint creati.

Angelos propria operatione ex gratia dispositos fuisse ad iustificationem, verior sententia est, 6. 1.

Angeli conaturali dignitate perfectiores maiorem à Deo gratiam consequuti sunt, c. 2.

Prædicta doctrina quibusdam notationibus illustratur, c. 3.

CAPUT I.

Angelos propria operatione ex gratia dispositos fuisse ad iustificationem, verior sententia est.

DE inæqualitate gratiæ Angelorum disputat S. Doctor in hac quæst. art. 8. de qua nos in hac disput. tractare decreuimus, quod materiæ præcedentis disputationis connexa videatur: Primum autem de dispositione Angelorum ad gratiam. Circa quam inter eos Theologos, qui docent, angelos in sanctitate & iustitia apud Deum creatos fuisse, non satis certum est, an dispositi fuerint Angeli ad iustificationem suam propria aliqua operatione ex auxilio gratiæ prouenienti, ex cuius dispositionis inæqualitate definitur soler ipsius sanctitatis & gratiæ gratum facientis inæqualitas. Nam Capreol. in 2. d. 4. q. 1. art. 3. ad 1. contra 4. Capreol. conclus. & ad 1. contra quintam, & aliqui Thomistæ affirmant, Angelos quidem in primo instanti sui esse, fuisse iustificatos, sed nullam habuisse dispositionem ad iustificationem. Eorum vero ratio est, quia sicut docet S. Thom. q. 16. de malo art. 4. Ad 3. S. Thom. operationes Angeli talem inter se debent ordinem habere, vt prius sint naturæ & sine gratia quam supernaturales seu ex gratia: atqui nulla operatio non procedens ab auxilio gratiæ potest esse dispositio ad gratiam, vt manifeste probauimus superius disput. 91. cap. 11. & seqq. ergo si Angelus in primo instanti fuit creatus in gratia gratum faciente & sanctitate, illam non habuit ex propria dispositione: quia tunc non potuit habere aliam operationem, quam naturalem, & non ex auxilio gratiæ. Huic sententiæ fauere etiam debet Alexander, si defendere velit, Angelum in gratia fuisse creatum: vtrumque enim problematice docet: ipse enim iuxta doctrinam, quam etiam sequitur 2. p. q. 29. m. 1. art. 7. affirmare debet, in primo instanti non potuisse Angelos operari, quia, vt docet in solutionibus argumentorum, non potest eadem res in eodem instanti producti & operari. In quo ex parte amplectitur ipse sententiam Hugonis de S. Victore in summa scientiarum, tract. 2. cap. 2. vbi docet, nullam rem posse libere operari in primo instanti sui esse. Id ipsum cogeretur asserere Henricus, si diceret Angelos fuisse in sanctitate & iustitia creatos: quia etiam sentit quod lib. 8. q. 10. Angelum non potuisse in primo instanti peccare, nec mereri, nec libere operari: si autem habuisset aliquam dispositionem, debuisset esse libera: de quorum opinione quod attinet ad liberam operationem in primo instanti rei, diximus supra disput. 68. c. 6. & dicemus disput. 236. c. 3.

Ego